



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 6. Varij modi, quibus Senes possunt, aut solent honorari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

uieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi. Horum consilium secutus auertit populum à se, & excitauit ingentem tempestatem, secessionemque; quæ facta non fuisset, si ille senes honorasset, qui apud omnes semper sapientes in honore fuerunt; immò naturæ monitu, apud omnes nationes. Est adolescentis,

Cic. lib. I.  
de offic.  
Ouid. 5.  
Fast.

inquit Cicero, maiores natu vereri. Et Naso:

*Magna fuit capitis quondam reuerentia  
cani;*

*Inq̄ suo pretio ruga senilis erat.*

§. VI.

*Varij modi, quibus senes possunt, ac solent honorari,*

Honorabant autem illos modis varijs.

1. Ipsum nomen *Senioris* & *presbyteri* erat olim honorificum, quod & in sacra pagina licet obseruare. Nam & Abraham *seruum seniore* domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat, inter præcipuos numerauit. Et cum funus duceret Ioseph patris sui Iacob, honoris ergo ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terra *Aegypti*.

Gen. 24.  
2.

Gen. 50.  
7.

pti. Ipse Dominus Moyſi dixit: *Vade, & congrega seniores Israel, & dices ad eos, &c.* Exod. 31  
16.

Deniq; passim honoratiores populi, seniores populi vocitantur. Hispanis vox *senior*, non-nihil detorta in *Sennor*, & Italis *Signore*, significat dominum. Nunc *senex*, *vetulus*, *effatus*, *silicernium*, nomina sunt contemnentibus senectutem in ore, & lingua. Seniores, tamquam doctiores interrogabant: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* Deuter. 32, 7.

Et Ecclesiasticus: *Non te praeferat narratio seniorum: ii,* Eccli. 8.

*ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis discas intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Hinc antiquitus senum, consilia, iuuenum lanceæ laudabantur; atq; apud Homerum quoque Nestor in curia, Achilles in pugna celebratur. Audiendi igitur à iuuenibus sunt senes. Quo honore Christus ipse voluit afficere doctores, quem parentes inuenerunt *in templo, audientem illos, & interrogantem eos.* Luc. 21  
46.

Neque sanè paruus est honor, pro oraculo consuli, & audiri non secus, atq; si ex tripode loquaris. Quem honore non solum sapientiæ magistri, apud Academicos, Peripateticos, Stoicos, ceterosq;

rosq; Philosophos, sed ipsi etiam diuinitatis æmuli cacodæmones affectârunt. 3. Senes surgendo honorabant. Hoc est, quod

**Leuit.** DEVS iussit illis verbis : *Coram cano capite*  
**cap. 19. 32.** *consurge, & honora personam senis.* Quod præ-

**Plutarch.** *in Lacon.* ceptum quasi ad Lacedæmones quoq; peruenisset, ita sedulò in theatris omnes venientibus senibus consurgebant, eosq; sessum recipiebant. Senex in Olympijs cupidus erat spectandi certaminis, quod agebatur. Sed cum nulla vacaret sedes, ad varia loca sese conferens, ludibrio erat, ac scommatis petebatur, quòd nullus eum exciperet. Ut verò peruenit ad Lacedæmonios, ibi non solum pueri omnes assurrexerunt, verum etiam viri multi cesserunt illi locum. Id factum cum ceteri Græci, quotquot aderant, plausu comprobassent, patriumq; morem supra modum collaudassent, senex

*Concutiens canasq; genas, & tempora cana,  
Ac fuis lachrymis,*

*Heu miseriam! inquit, ut omnes Græci norunt,  
quid sit honestum, sed eo soli utuntur Lacedæmonij! Nimirum*

**Iuvenal.**  
**Sat. 13,**

*Improbilas illo fuit admirabilis æno.  
Credebant hoc grande nefas, & morte pian-*  
*dum.*

*Si iuuenis vetulo non assurrexerat; & si  
Barbato cuiicumque puer, licet ipse videret  
Plura domi farra, & maiores glandis acer-  
uos.*

*Tam venerabile erat, precedere quattuor  
annis,*

*Primaq; par adeò sacra lanugo senecta.*

Ioui, apud Homerum venienti assurgunt, & occurrunt omnes dij, sicut fit cum nos magnos hospites excipimus. 4. Non assurgebant itaq; tantum senibus, verum etiam occurrebant, immò loco cedebant. Alexander, cum hieme duceret exercitum, aspidens igni recognoscere praetereuntes copias coepit. Cumq; videret senem quendam horrentem frigore, & ad ignem stantem, considerare loco suo iussit, dicens: *Si in Perside natus esses, in regia sella sedere tibi capitale foret: in Macedonia nato conceditur.* D. Benedictus duo vult, à iunioribus suis, senioribus impendi, primum, ut ubicumque sibi obuiant Fratres, Iunior à Priore, (seu seniore) benedictionem petat: alterum, ut transeunte Maiore, minor surgat, & det ei locum sedendi: nec presumat Iunior consecrare, nisi ei precipiat Senior suus, ut fiat, quod scriptum est: *honore inuicem praenientes.* Addit, ut, ubicum-  
quo

Homer. I.

Iliad.

Erasm.

lib. 4.

Apopht.

S. Bened.

dict.

Reg. c. 63.

que sibi obuiant Fratres, Junior à Priore benedictionem petat: Vel nutu & capitis inclinatione, vel etiam, vbi & quando licet, addita voce illa: *Benedicite*. Et inter casus excommunicatione dignos sextus est; apud eundem, si quis seniorum suorum contemptor repertus fuerit. 5. Senes ad cœnas inuitabant, & locum honoratiorem illis dabant. Quin, vt Valerius Maximus testatur, inuitati ad cœnam diligenter querebant, quinã ei conuiuio essent interfuturi: ne senioris aduentum discubitu præcurrerent: sublataq; mensa priores consurgerent, & abire patiebantur. Ex quibus apparet, cœnæ quoque tempore, quàm parco, & quàm modesto sermone his præsentibus soliti sint vti. 6. Iuuenes senibus aderant quasi serui. Hinc Romani adolescentes seniores in curiam deducebant, atq; extra curiam præstolabantur; vt eosdem domum reducerent. Iam vix eos volunt ad templum comitari. Vix adducuntur, vt parentû gratiã se se submittant, ad officia mediastinorum. 7. Senibus, tamquam prudentioribus non solùm officia magistratus, sed alias quoque præcipuas dignitates committebant.

*Æn. Sylu.* Fridericus Imp, vt refert Æneas Syluius, cum

Val. Max.  
lib. 2.

cùm in vrbe quadam præfectum, senem admodum & ætate imbecillem dedisset, non defuerunt adolescentes, qui sibi præfecturâ loci committi peterent. Cùm igitur senem amouendû dicerent, fertur Fridericus dixisse: *Senem amicum oppido, non amico oppidum commendamus*, sentiens, dignum esse, vt senex iam à ciuibus ad mortem vsque foueretur. Quid mirum est, si res iam à pueris pueriliter gerantur? olim senes rebus præficiantur, vt omnia fierent cum maturitate. Vt illi communitati de qua dici potest: *Senes defecerunt de portis*, vbi iudicia exercentur; quid enim mirum est, si à iuuenibus iuueniliter iudicetur? Matura ætas, matura consilia parit: & plerumque idem est inter senum ac iuuenum cogitationes discrimen, quod inter excoctos & crudos fructus. Quæ tamen vtique intelligenda sunt prudenter; non enim officijs sola ætas, sed matura & cordata ætas est præficienda. Neq; sine perniciosa consuetudine inductus est in nostram militiam ille mos, vt non fortior peritiorq; sed antiquior militibus ducendis præponatur, siue leo ille sit, siue lepus. Aliter ratio, aliter suadet Theologia, quæ docet, digniorem in grauibus præfertim ne-

I gotijs

lib. 4. de reb. gestis Alphonsi.

Thren. 50  
14.

gotijs esse ceteris præferendum, non senio-  
rem. Miseranda res est, nos, cum ægrota-  
mus, à medico imperito, qui iam dicitur  
aliquot cœmeteria impleuisse, refugere,  
tamen si diurius medicum egerit; & opti-  
mos quosque quamuis iuniores conquirere  
at quando agitur de salute Reip. de belli ca-  
pite, de rerum summa, tantum aspicere  
antiquitatem, non ad virtutem: quasi non  
ignauissimus quisque, qui vel simulatione  
ægritudinis, vel dexterrima declinatione  
se subducit occasione præliandi, vel mani-  
festâ fugâ prodit suam trepidationem, pos-  
sit diutissimè in bello versari, atque ita fieri  
antiquissimus. Num idcirco existimandum  
est, esse dignissimus, qui fiat Imperator? Si  
tamen & virtus adsit, & ætas maturior, ut  
que erit iuniori senior plus meritis præfe-  
rendus. Maxima malorum pars, ob quæ ma-  
lè audit senectus, à vitijs hominum profi-  
ciscitur, ut apud Ausonium Chilon pronun-  
tiat: habet autem senectus ex se se nonnulla  
commoda, plurimarum rerum vsum, ac me-  
moriâ, consulendi facultatem, reueren-  
tiam & auctoritatem. Hæc si adsint com-  
moda, absintque incommoda, ea senectus  
optabilior est multorum iuuentute, vitijs &  
inertia



inertia marcente. Videas autem in nonnullis iuuenibus senilem imbecillitatem, senilem somnolentiam, senilem ignauiam, senilem morositatem. Horum iuuentus peior est senectute. Nam cum senecta carent, senio tamen abundant. 8. Senes emeritos, ac praesertim de Rep. bene meritos publicè alebant in Prytaneo, loco Athenis in arce dignissimo, qui honos habebatur maximus, teste Cicerone. Nam ibi & curia erat, in qua iudices & magistratus consilia agitabant: & locus in quo sacra fiebant ab ijs, qui maxima in vrbe pollebant potestate; ibi ergo senibus victus quotidianus praebatur publicè, vt omnibus palàm constaret, eos honestè tractari. Hodie si fieri posset, omnes senes ad Ponium & Raspinum mitterentur.

Cic. lib.  
1. de orat.

§. VII.

*Senes non esse contemnendos.*

S. Thomas scripsit, senectutem esse signum virtutis ideoq; honorandam, licet in ijs virtus quandoq; deficiat. Alij, eos honore dignos aiunt, quia DEVM æternum, repræsentant, talem enim eum vidit Daniel.

*Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana*

Dan. 7. 9.